GREGORIUS MAGNUS
Zwettl, um 1200 Seite 39r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



ciperet. Uel certe in inferno eius omnia des
cendunt. quia laborum omnium retributio
adhuc in sola inferni quiete recipi pre
stolabatur. Et quasi illuc descendit omne
quod egit. quia ibi quietem retributionis
suae ex omnibus inuenit. Unde etiam ipsa
quies prestolata subiungitur. cum ilico sub
subinfertur: Putas ne saltim ibi erit
requies mihi. In quibus nimirum uerbis et
innotescit quod desiderat. et tamen esse se
de suscipienda requie adhuc dubium de
signat. ne cuius sancta opera tot flagella se
cuta sunt. occulto iudicio superni iudi
cis. post flagella temporalia. etiam man
sura tormenta sequerentur. Qua in re
cum magno nobis timore pensandum
est. quis nostrum de requie eterna securus
sit. si de ea adhuc et ille trepidat. cuius
uirtutis preconia et ipse iudex qui percu
tit clamat. Si enim iustus uix salua
bitur. peccator et impius ubi parebunt.
Beatus etenim iob ad requiem se post fla
gella peruenturum nouerat. sed ut nostra in
timore corda concuteret. ipse uisus est
de eterne quietis retributione dubita
re. cum dicit putas ne. ut uidelicet
nos perpendamus quanta debemus for
midine uenturum iudicium semper expa
uescere. quando et ille qui iudice teste
laudatus est. adhuc de retributione
iudicii in suis uocibus
securus non est.

Explicit liber. xiii.
Incipit. xiiii.

Superiorum

ius operis parte tractauimus. quod omnipotens deus ut
corrigeret mentes infidelium sub lege
positorum beati iob uitam ad testimonium
adducit. qui legem non nouit et tamen
tenuit. qui precepta uitae quae scripto non
acceperat custodiuit. Huius prius actio
deo attestante laudatur. et probari primo dum
diabolo insidiante permittitur. ut per tem
tamenta tribulationis ostenderet. quan
tum prius in tranquillitate profecisset.
Huius uitam generis humani inimicus
more suo improbus et laudari deo attes
tante cognouit. et tamen ad temptan
dum expetiit. Quem cum tot dampnis
rerum. cum tot orbatibus percussum ster
nere nequiuisset. uxorem in stimulo
malae persuasionis excitasset. ut saltim
per familiaria uerba corrumperet. quem
per tot sternere nuntiorum uerba minime
ualeret. Sed cum adiutorio feminae quod
prius in paradyso contra adam optinu
it. contra hunc secundum in sterquilinio posi
tum roborari non potuit. ad alia se
temptandi argumenta conuertit. ut
amicos eius quasi consolantes adduce
ret. et tamen eorum mentes in asperitatem
increpationis immutaret. quatenus
eum cuius patientiam flagella non uicerant.
inter flagella saltim aspera uerba supe
rarent. Sed inimicus callide insidians
fraudem quam contra sanctum uirum parauerat
pertulit. quia sancto uiro quot occasiones
perditionis intulit. tot causas uictoriae
ministrauit. Contra tormenta quippe pa
tientiam. contra uerba sapientiam tenuit.